



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 11. Quid est phantasma, ad tex. com. 49.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

cognitiones sunt, comparasset) sed aut iudicio Auerois & S. Thomae primorum principiorum habitum, qui opinio & scientia melior est; quique nunquam est falsus, quemadmodum interdum opinio: aut quamvis vel simplicem apprehensionem, quae causa non conficit: & utroque modo scientiae & opinioni opponitur, quod illae coniunctae sunt, complexaeque cognitiones, atque ex principijs & causa deducuntur.

Plures sanè sunt cognitionis modi, pluresque habitus intellectus. Sed quòd hos solos commemoret, causam fuisse dicit S. Thomas; quoniam in nondum essent eo tempore cogniti; Verùm hi duntaxat quatuor: quorù intellectum vnus, scientiã dualitatis, opinionem eternarij, sensù quaternarij esse Plato prodiderat. Quòd intellectus cognitio simplex sit, nõ per causam; scientia à principijs ad conclusionem; opinio his formidinem addat oppositi; sensus demum circa corpora versetur. Poterat meminisse in sexto Ethicorum lib. de pluribus alijs ab eo actum fuisse. Potior illa est ratio, quòd hìc non de habitibus, vt in sexto illo libro; sed de animae facultatibus ageretur. Nec reliqui habitus ad rem presentem essent, neque vllã cum phantasia similitudinem haberent. Sapientia enim circa altissima, prima, & diuina, quae phantasia non habent, versatur: aut certè ex intellectu & scientia constat. Prudentia & ars actionem & effectiõnem dirigunt: phantasia non item. Si igitur hæc cognoscendi quidpiam facultas est, aut sensus erit, aut opinio, aut scientia, aut intellectus, aut aliqua virtus alia ab omnibus hisce distincta. Deinceps autem nullam illarum esse demonstrans, tanquam ab omnibus diuersam constituet.

Phantasia per translationem quid.

Quod autem spectat ad verba; eum de phantasia proprio significato sermonem esse admonet, nõ de ea, quae per translationem appellatur: siue hæc cum Philopono intelligatur ea, quae in nobis vel nolentibus à rebus ipsis interdum figuratur: siue cum Alberto intellectus, qui est cum phantasmate: siue cum Auerois sensus falsus. (Sic enim cum aliquid verè non videmus aut audimus, sed videre audire nobis videmur; dicit nobis quispiam; Imaginaris te videre aut audire) siue demum cum Themistio, Simplicio, & Alexandro, tum intellectus, tum sensus; quibus aliqua videmur nobis nõnunquam cognoscere, quae verè nõ cognoscimus: perinde sanè fuerit. Siquidè ab his omnibus propria phantasiae acceptio distinguitur, qua vim eã significamus, qua nos ipsi rei cuiuspiam vel absentis, & verò etiam falsae & quae in rerum natura non subsistat, phantasma, idolum, simulacrum, & imaginè pro libito ac voluntate nostra interius effingimus ac formamus.

Phantasia proprie quid.

Dum autem eam ait esse facultatem quampiam aut habitum, quo iudicamus & verum ac falsum percipimus; minimè aduersatur ijs, quibus eam antea hoc nomine ab intellectu distinxit; quòd integrum nobis sit imaginari, siue verum, siue falsum; non item opinari & existimare. Quoniam phantasia sine assensu operatur, solas fingit imagines; neque diudicat, num verè illae sint, an falsae. Intellectus autem assensum adhibet ac veritatis falsitatisque iudicium. Etenim generaliori nunc significatione iudicium nominat pro quavis rei cognitione, atque apprehensione, sine qua sanè imaginum efformatio illa non est, atque ita sensuum

Phantasia ut verumbeat aut falsum.

quoque iudicium dicimus. Non propria magis, quae affirmationem & negationem atque omnino compositionem habet, dum hanc veram aut falsam esse rei imaginem enuntiamus. Hoc namque phantasiae non est sed solius intellectus. Eodem modo vera aut falsa percipimus. Materialiter quidem phantasia, cum veras aut falsas imagines rebus, quae sunt, aut nõ sunt effingimus: formaliter autè intellectu, dum cõparamus, nostramque cognitionem rebus conformem aut non conformem esse intelligimus, & veram aut falsam imaginem esse discernimus. Neque enim phantasia circa imaginem versatur quatenus imagines sunt, & ad res ipsas referuntur, sed absolute, per se, & seorsim à rebus, quatenus contemplabiles solùm sunt & ab ipsa formabiles.

Sanè inter easdem facultates sensum quoque commemorat: qui tamen nec aliud iudicium habet, quàm simplex, nec veritatem aut falsitatem, nisi materialem, dum obiectum re: aut factus, cognoscit. Itaque verum est, tum phantasmatum sensum, alium esse verum, alium falsum. At falsum est, eum diudicare, seu cognoscere verum à falso. Nam horum alteram solam facultatis actionem rebus conformem aut non conformem significat. Alterum verò illius cum externis rebus comparationem & coniunctionem adtingit: quae neutri conuenit facultati, quoniam utraque simplicem habet operationem: minime verò phantasiae, quae non ad externa, vt sensus & opinio, sed ad interna solùm desinit, nec foras se illo modo porrigit.

Facultatem præterea & habitum dixit: Simplicij quidem interpretatione phantasiae docet tum facultatem esse, hoc est essentiali charactere & differentiam animae (quippe is facultates non animae additas, sed partes eius essentiali esse censuit) tum habitum seu dispositionem, quam operando induit rerum diuersarum imagines inscipiendo. Verius autem vel facultatem appellans virtutem & potestatem animae phantasmatum productricem: habitum vero eandem vt ea iam produxit atque illis instructa est. Vel utramque vocè; nominauit propter illa quatuor, quae subiungenda erant. In quibus sensus facultatem significat, opinio, intellectus, & scientia habitum potius facultati additum. A quibus omnibus num phantasia diuersa sit, consideranda est.

Facultatem præterea & habitum dixit: Simplicij quidem interpretatione phantasiae docet tum facultatem esse, hoc est essentiali charactere & differentiam animae (quippe is facultates non animae additas, sed partes eius essentiali esse censuit) tum habitum seu dispositionem, quam operando induit rerum diuersarum imagines inscipiendo. Verius autem vel facultatem appellans virtutem & potestatem animae phantasmatum productricem: habitum vero eandem vt ea iam produxit atque illis instructa est. Vel utramque vocè; nominauit propter illa quatuor, quae subiungenda erant. In quibus sensus facultatem significat, opinio, intellectus, & scientia habitum potius facultati additum. A quibus omnibus num phantasia diuersa sit, consideranda est.

Diagesis XI. Quid sit Phantasia.

EX hoc loco, vbi Aristoteles siue nominis notatione posuit, siue ex obiecto proprio & actione (vt Simplicij putauit) phantasia definitur: facile intelliges quid sit phantasia. Non inquam esse formam aut speciem obiecti sensibilis ab ipso in phantasia impressam dum sensibus exterioribus cognosceretur; ibique conseruatum; vt Latinorù plerique loquuntur. Sed imaginem vel idolum exterioris obiecti à phantasia effictum ac formatum, seu ipsammet phantasiae actionem, quatenus obiecti cogniti imago quædam est & similitudo. Quod enim illi autumant, tum ex eo confutari potest, quòd si ita esset, simulacra forerint in nobis et si nil imagineretur phantasia. Imò plurima simul ac diuersissima & verò purgantia inessent phantasmata. Deinde vos ipsa indicat. Quippe phantasma dicimus velut idolum

idolum à phantasia forma tum. Tum verò hæc ipsa Philosophi definitio confirmat. Nam si phantasma id est, quod in nobis à phantasia effingitur; non sanè ab exteriori obiecto imprimetur; neque huius, sed illius proprium opus ac partus est.

Quam definitionem ita exposuit Alexander in primo de anima lib. cap. de phantasia; ut phantasia dixerit motionem quandam esse, quæ phantasma quoddam dicimus nobis in anima gigni. Neque multò post phantasia ostendit non esse figuratorem, hoc est figurationem in anima ab obiectis factam, sed ipsius phantasticæ virtutis actione illam constare. Quæ omnia tam sunt aperta, ut maiori explicatione egeant. Aderunt autem testes & interpretes cæteri. Nam apertè Iamblichus & Priscianus Lydus in Theophrasti librum de phantasia & intellectu cap. 1. & 2. eam definiuerunt facultatem esse assimilandi cætera ad seipsa, atque à sensibus ad intellectum sensilia & exteriora obiecta transmittendi; ab incurrentibus scilicet obiectis illis excitatam: eamque ubi semel permota fuerit, ex seipsa expergisci promerere phantasmata, quamuis inuentia nulla ulterius adsint. At rursum in capite 3. de eadem re ab eodem Prisciano dicitur posse esse sensionem veram & phantasma falsum; quoniam non eiusdè, sed diuersarum facultatum opera sunt. Phantasma igitur phantasticæ opus est & videm ipse auditor loquitur, ex phantasia emergit. Propterea verò Philoponus phantasia illam, qua vel nolentibus nobis ex reliquijs sensuum sunt interdum phantasmata, per translationem dici voluit; eam solam propriè, qua à nobis ipsis interioribus illa formantur. Themistius autè Aristotelis definitionem adferens, De illa, inquit, phantasia loquimur, qua phantasma velut typum & formam sensilis in anima produci dicimus. Vbi cum Themistium, tunc Alexandrum, adnotabis Aristotelicæ definitioni non temerè addidisse (in anima) sed ut ostenderent phantasma ipsius anime actione consistere; non sensili forma in organo corporeo impressa. Denique Simplicius eum paulò ante phantasia Philosophus assimilasset picturæ; id propterea factum tradidit, quoniam ea quoque assimilatrix est, hoc est similitum rebus imaginum formatrix. Et in commentario tex. 160. Ipsa, inquit, phantasia excitatur ad promendum imaginabiles figuras per proprias rationes sensilibus formis conuenientes. Vbi que excitata est, à seipsa phantasmata promit, & figuræ à se ipsa effingit ac format, aut sensilium formis consimiles, aut aliquid adiungens, &c. Ac rursum in sequenti commentario, Sensitivum, inquit, extrinsecus; imaginativum autem à vita imaginatiua figuratur. Tum illud accedit, quòd in tex. 153. hoc nomine distincta fuit ab intellectu phantasia; quòd imaginari possumus quæcumque volumus, siue vera, siue falsa; vel etiam ea, quæ in natura non sunt: opinari autem & existimare non nisi vera, & quæ sunt. At licentia nobis tanta non esset, si petenda ab obiectis essent phantasmata; sed vera sola & quæ sunt, imaginari possemus. Quo modo eorum, quæ non sunt, immò nec esse possunt, ab obiectis imprimantur phantasmata? Dum hircoceru, aut hyppocentaurum, aut etiam volentem asi-

num imaginamur, horumque imagines ac phantasmata phantasia verfamur; nunc à sensilibus rebus ex nobis impressa fuerunt? Hircum sæpè vidimus & ceruum, equum item & taurum, asinum, & volentes aues: at hircoceruum, hyppocentaurum, & volentem a sinum, quorum coniunctorum phantasmata diuersa sanè sunt, à partium, quibus constant, phantasmatis, nunquàm planè vidimus nec vllò hausimus sensu. Integrum, inquit, Philoſophus nobis est ob oculos ponere. Quid, nisi phantasmata? At si ab exterioris obiectis suscipienda illa sunt & haurienda, integrum nequaquam nobis est. Aut si integrum ponere; quo modo nisi imaginando & (ut ita loquar) phantasiando? At quid quæso est imaginari aut phantasiare, nisi imaginem aut phantasma effingere? Hoc igitur, quod à phantasia formatur velut obiecti sensilis imago, phantasma est.

Accedunt duo exempla illa, quibus Aristoteles & Themistius ad hoc explicandum vsi sunt: dum persimilem illis phantasia esse dixerunt, qui in artificiosa memoria locis imagines ponunt; ac pictoribus, qui quacumque forma illis libuerit, animalia pingunt. Quod si ita est, eodem igitur modo, quo illorum vterque imagines sibi fingit ac format, fingit quoque ac format phantasia phantasmata; hæcque nil aliud sunt, quam à phantasia fictæ ac formatæ obiectorum imagines. Neque verò dici potest, quænam alia sit phantasticæ operatio, nisi phantasiare aut imaginari. Verùm phantasiare atque imaginari dices non esse formare phantasmata fingereque imagines; sed ea iam in phantasia formata & ficta cognoscere. Hoc si dixeris, nequaquam cum Aristotele ac peripateticis senseris. Nam si quæram, quisnam eas imagines, quæ à phantasia non formentur, sed tanquam formatæ cognoscantur, formauerit atque in phantasia posuerit: obiectum sanè, quod eas impressit, respondebis. At Aristoteles à phantasia, non ab obiecto, poni eas voluit: & illarum pictorem non obiectum, sed phantasia esse Themistius tradidit. Deinde si ab obiecto ponantur, non est igitur integrum nobis eas ponere quando volumus. Propterea enim integrum esse Philosophus affirmavit, quòd à phantasia in nobis existente ponantur. Tum verò eiusdem Philosophi verba considerare poteris. Is non solum dixit phantasia imagines ponere; sed eo modo ponere affirmavit, quo illi ponunt, qui artificiosa memoria vtuntur: eos poterò adiecit ita ponere, ut illas ipsi pro libito sibi fingant. Eodem enim modo phantasia voluit ponere, eas ipsammet fingentem ac formatem, & (ut loquebatur Simplicius) à seipsa illas representantem; nec ijs omnino, quæ prius visa fuerint, acquiescentem; sed & adiungentem, & detrahentem, & transmutantem, modoque quocumque variantem. Eodem pictoris exemplum pertinet.

Sed videndum præterea erat, Aristotelem hoc phantasia ab intellectu distinguere; quòd illa non vtatur assensu neque de rebus iudicet; sed eas duntaxat fingat ac former: hic autem cum assensu & iudicio

operetur. Ex hoc enim ipso facile erat colligere, in tellectum nō formare sibi neque fingere obiectū, sed de oblato ac proposito iudicare, illique assentire, aut ab eo dissentire: phantasiā contrā non indicare de oblato, neque assentire aut dissentire, sed id solum fingere, quod alio actu cognosci, aestimari, ac iudicari debeat. Non esse inquam ipsam veri cognitricem, sed typorum & simulacrorum formatricem; & ita formatricem, vt ea ex seipsa promat: & idēd sēpē addat & minuat, componat & pluribus modis illa mutet, quā oblata fuerunt a sensu. Denique eandem Platonis fuisse sententiam ex sophista cognosces: in quo dialogo phantasiā non semel ait simulacrorum effectricem esse.

TEXTVS.

Ὅτι μὲν οὐκ ἐστὶ αἰσθησις ἡ φαντασία, εἴλογον ἐκ τῶν ἀποδείξεων μὲν γὰρ, ἢ τοῦ διακρίνειν, ἢ ἐκ τῆς οὐκ ἔχουσης κατὰ ἑαυτῆς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῇ τῶν ἰσχυρῶν ὡς τὰ ἐν τοῖς ἴσθμοις.

Tex. 156.

Ergo phantasiā sensum esse, ex his apertum. Sensus enim aut potestas aut actus, seu visus & visio. At vel horum neutro existente apparet aliquid; vt ea, que in somnijs.

COMMENTARIVS L.

A Commemoratis facultatibus seu habitibus phantasiā distincturus; tum à singulis diuersam eam esse probat; tū ab omnibus simul. Primum enim eam non esse vllum eorum; deinde neque ex illis compositam; certis rationibus concludit.

De singulis porro loquēs à sensu principiū facit. Tum quia is sua natura prior est, atque antecedit intellectu, cuius reliqui habitus sunt. Tum quia eūm facultatē & habitū nominasset, prior habitu facultas est. Sensus autem facultas existit, reliqui habitus. Tum verò ne in longum magis protraheret superiorem illam propositionem tex. 153, qua ostendendum proposuit, eam à sensu & diuina diuersam esse. Quare cūm à diuina differre docuerit, voluit etiam ostendere illam à sensu discrepare.

Diuersitatem autem ac discrepantiam compluribus argumentis demonstrat. Primum illud est. Sensus duobus modis nominatur: aut enim facultatem significat & virtutem animæ; qua sentire potest, nec tamen quidquam sentit; vt eūm aspectum dicimus aut auditum: aut sensationis & operationis actum à facultate illa profectum; vt visionem auditionemūe. Aut inquam pro actu primo ad operandum & secundum actum promendum idoneo; aut pro actu secundo operationis, quæ ab illo proficiscitur. Quam distinctionem vt notam ac manifestam accipit, & verò etiam explicatam in tex. 53, libri secundi & sēpē deinceps in tex. 158, 139, 141, & 142, huius tertij viuatam. At phantasia neutro modo appellari sensus potest: sensus igitur non est. Assumptionem confirmat ex somnijs. Namque

Phantasiā à sensu diuersam esse.

A dormientibus nobis & somniantibus apparent multa per phantasiā (hoc enim significat grecum verbum *phantasia*) ac sensus, qui potestate dicitur, vt nihil operatur, ita nihil percipit, nullum videt visum, nihil illi apparet. Sensus autem actu tunc nullus est. Tum quia nullum est obiectum præfens; quod sanè adesse oportet, vt sensus in actum prodeat. Tum quia cessant omnes, ligatique quiescunt. Siquidem hoc somnus est; cessatio & impedimentum sensuum omnium, quorum functio vigilia erat. Quoniam si in somno essent actu, nequaquam dormiremus, sed vigilaremus: non somnaremus, neque imaginaremur, sed præsentia intueremur obiecta.

B Neque igitur potestate, neque actu sensum phantasiā appelles: sed virtutem aliam, quæ omni cessante & impedito sensu nihilominus operetur. Diuisionem hanc sensus in eum, qui potestate, & eum, qui actu dicitur; propterea accepit hoc loco Philosophus, vt generale omnino probationem faceret, atque à sensu phantasiā omni ex parte distingueret; neutro modo sensum eam esse demonstrans. Verum vbi nos addidit neutro existente somniantes, id non ita intelligas, vt sensus vterque, tum actu, tum potestate, ab animali ablit. Nunquā enim, si actus delit, abesse is potest, qui potestate dicitur; & in somnijs quoque adest, at non operatur nec agendi vnquam virtus ab animali separatur. Sed iam ita accipias, vt verè Simplicius exposuit, neutrum phantasijs, quæ per somnium apparent, inesse. Non sensum actu, quia is tunc nullus est. Neque eū, qui potestate nominatur; quoniam hic est animalis adit, nihil tamen agit. Quare cūm somniorum visa & phantasmata, que aut nobis eo tempore insunt, neutro modo à sensu esse queant, sanè & operatur phantasia, etiam inter illorum ipsi insit. Vno verbo argumentationem totam cum Themistio colligam. In somnijs imaginamur, in somnijs non sentimus: phantasia igitur seu imaginatio sensus non est.

Digestio XII. De somnijs.

S omnium interioris sensus, non alterius facultatis affectionem esse, in libro de somnijs docetur pluribus. Eiusdem namque somnium est, cuius & somnus. At somnus illius est, quæ *ἀνεπιτηδεύειν* est, somnium autem, quæ *εὐπιτηδεύειν*. Nunc tanquam ex phantasiæ definitione iam phantasia manifestam accipitur. Si enim somnium visum quoddam est & phantasma, quod occurrit dormientibus, illius sanè facultatis fuerit, quæ phantasmata in nobis fieri dicimus; hancque phantasiā esse, & appellatio ipsa testatur, & proposita definitio confirmat. Deinde vt ostensum est operationem sensus non esse, ita eorum est intellectus non esse, quoniam in bestijs quoque inest. Sola igitur superest phantasia, velut inter sensum & intellectum media, hominique cum bestijs communis. Etenim dormientibus ligantur sensus, tum exteriores & particulares, tum interior & communis ille, qui non operantibus illis sentire non potest. Sic autem interterdum, vt reliquæ itē facultates & operationes ligentur cessanteque, phantasia, aestimatio, memoria, intellectus, si somnus profundus fuerit & placidus.